

sed quia fere sic afficiuntur omnēs, satis argumenti est, ab interitu naturam abhorrere: idque quo magis quidam ita faciunt, ut jure etiam reprehendantur, hoc magis intelligendum est, haec ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quaedam essent modica natura. Nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia privari se vitae bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem formidines extimescant, aut si metuant, ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant: in parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipituros alicunde, extimescunt. Quin etiam ferae, —

Quibus abest ad praecavendum intelligendi astutia, sibi injecto terrore mortis horrescunt. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat? qui etiam quum decreverit esse moriendum, tamen discessu a suis, atque ipsa relinquenda luce moveatur. Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, quum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant; et angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute, et ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis: qui quum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum.

Configebat tardus celeres, stans volantes, ut apud Attium est, pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat. De hominum genere, aut omnino de animalium loquor; quum arborum et stirpium eadem paene natura sit: sive, ut doctissimis viris visum est, major aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit, sive hoc ita fit fortuito: videmus ea, quae terra gignit, corticibus et radicibus valida servari; quod contingit animalibus sensuum distributione, et quadam compactione membrorum. Qua quidem de re, quamquam assentior iis, qui haec omnia regi natura putant; quae si natura negligat, ipsa esse non possint: tamen concedo, ut, qui de hoc dissentiunt, existiment, quod velint, ac vel hoc intelligant, si quando naturam hominis dicam, hominem